



Et surgens uniuersa multitudo eorum, duxit illum ad Pilatum. Coeperunt autem illum accusare, dicentes: Hunc deprehendimus euertertem gentē, ac uetantem tributa dari Cæsari, dicentem se Christum regem esse. Pilatus autem interrogauit eum, dicens: Tu es ille rex Iudæorum. At ille respondens illi, ait: Tu dicis. Ait autem Pilatus ad principes sacerdotū & turbas: Nihil inuenio noxæ in hoc homine. At illi inualeſcebant, dicentes: Cōmouet populum docens per uniuersam Iudæam, exorsus à Galilæa usq; ad hunc locū. Manifeste ueritati aduersantur. Vbi enim prohibuit Iesus tributa dare, qui ut debita potius reddi præcepit, sic dicens: Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt? Quomodo autem commouet turbam? nunquid ut regna inuadens? sed incredibile hoc omnibus: nam quum agnouisset, quod populus uellet ipsum in regem facere, secessit. Vnde & Pilatus, deprehendens sycophantiā, fatetur: Nullam inuenio noxam in homine hoc. Videtur autē mihi, quod & ista interrogatio, quam facit erga Christū, ridere calumniā. Subſannat enim rem, dicens: Tu es rex Iudæorum? quasi sic dicat: Tu qui tam pauper, tam uilis, tam destitutus auxilio, tam nudus, accusaris regnum ambire? Hoc autem deridentium est (ut diximus) ita accusare Iesum, fingendo talem rem attentari ab homine tam nudo atque uili, ad quam tot diuitijs atque præſidijs opus est. Verum hi quum nihil aliud haberent ad sycophantiā confirmandam, clamoris utuntur auxilio, & clamauerunt contra deum uerbum. Commouet enim inquit, hoc est seditiosum facit populum: & non in una parte, sed à Galilæa in cepit, & peruenit usque huc, per mediam Galilæam transiens. Non simpliciter autem mihi uidentur meminisse Galilææ, sed in terrorem Pilati. Nam Galilæi semper seditiosi, rerumq; nouatores fuere: qualis erat & Iudas Galilæus, cuius recordari faciunt Pilatum, quasi ita dicētes: Cogita præſes Iudam Galilæum, qui multum negotium fecit Rhomanis, facta non parua seditione populi: talis & hic est, quem oportet è medio tollere.

Pilatus autem audita mentione Galilææ, interrogauit nū homo Galilæus esset: & uē cognouit quod ad Herodis ditionem pertineret, remisit eū ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat per id tempus. Herodes autem uiso Iesu, gauisus est ualde. Tenebatur enim multo iam tempore cupiditate uidendi illum, eo quod audiret multa de eo, & sperabat se signum aliquod uisurum ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus: at ipse nihil illi respondebat. Stabant autem principes sacerdotū & scribæ, acriter accusantes eum. Spreuit autem illum Herodes cum exercitibus suis, cumq; illuſisset, indutum ueste splendida, remisit ad Pilatum: & facti sunt amici inter se Pilatus & Herodes in eodem die. Nam antea simulſtas inter eos interceſſerat. Pilatus autē conuocatis principibus sacerdotū, & magistratibus, ac plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem, quasi euertertem populum, & ecce ego coram uobis interrogans, nullum crimen inuenio in homine isto ex ijs de quibus accusatis eum, sed ne Herodes quidem: nam remisit uos ad illū, & ecce nihil dignū morte actum est ei: emendatū ergo illum dimittam. Necesse autem habebat dimittere eis in festo unum. Exclamauit autē simul uniuersa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam, qui erat propter seditionem quādam factam in ciuitate, et homicidium coniectus in carcerē. Iterum autē Pilatus locutus est ad eos, uolens dimittere Iesum. At illi clamabant, dicentes: Crucifige crucifige eum. Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit hic? nullum crimen capitale comperio in eo: castigatum ergo dimittam illum. At illi instabant uocibus magnis, postulantes ut crucifigeretur, & inualeſcebant uoces eorum, ac summorum sacerdotum. Et Pilatus adiudicauit, ut fieret quod illi postulabant. Dimisit autem illis eum, qui propter seditionem & homicidium cōiectus fuerat in carcerem, quem poposcerūt: Iesum uero tradidit arbitrio eorum. Et cum abducerent, apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem, uenientem è rure: & imposuerunt illi crucem, ut portaret post Iesum. Sequebatur autem illum multa turba populi & mulierum, quæ plangebant & lamētabantur eū. Rhomanorū legem sequens Pilatus, mittit dominū ad Herodem.

Illa enim cauere ut unusquisque à principe suae regionis iudicaretur, ideo & tanquam Galilaeum Iesum mittit principi Galilaeae. Herodes autem gaudebat, non ut animae suae utile quod lucraretur ex spectaculo Iesu: sed quia audierat de eo quod sapiens esset, & mira operaretur: habuit stultum desiderium, laborans curiositatis morbo etiam ipse ut uideret alienum hominem, & audiret quid ille diceret. An non & hodie multi morbo illo laborant? Desiderabat enim & ipse signum quoddam uidere à Iesu, non ut credat, sed ut oblectet oculos: sicut in spectaculis uidemus praestigiatos apparere, qui deuorant serpentes & gladios, ac similia. Firmè enim putabat Iesum esse talem. Et interrogabat eum sermonibus multis, & illudentis more tractabat, totumque subsannabat: ideo & Iesus nihil respondet. Sciuit enim quando respondendum, omniaque ratione fecit, & testimonium accepit à Dauid, quod dispenses sermones suos in iudicio. Quid enim oportet respondere ei, qui non interrogat, ut discat? Quid item oportet mittere margaritas ante porcos? immo maioris misericordiae est, sicut supra diximus, tacere inter tales. Sermo enim dictus cui nihil prodest, adhuc maioris condemnationis causa est ei, si non attendat. Pilato sanè respondit, quoniam aliquanto prudentior erat Herode, etiam si non admodum sapiens. Quum autem interrogasset ille, Tu es rex Iudaeorum? quid dicit dominus? Tu dicis. Hoc autem medium quodammodo sensum habet. Potest enim intelligi, Vere ego sum, tu dixisti id quod est: & intelligi potest, ego non sum, tu autem dicis. Herodi autem prorsus nihil respondit, quandoquidem illudor erat. Et uere semini malo, filijs iniquis, his qui tunc erant inquam Iudaeis, & exactores erant, opprimentes eos, & illusores dominabantur eis. Nam mente irrisoria & ridicula intentione concupiscebat uidere Iesum, & signum ab eo spectare. Et hoc animo interrogauit eum, atque hoc tandem indicauit, illum contemptum & irrisum dimittens: & non ipse solum, sed & omnis exercitus eius, qui ultra omnia conuicia induit ueste candida, remisitque eum ad Pilatum. Tu autem uide, quomodo per omnia quae facit, diabolo est impediamento. Excitat enim opprobria & conuicia contra Christum, & inde ueritas magis declaratur. Nam hisce irrisionibus manifestius testantur, quod dominus non fuerit seditionosus uel rebellis: si enim talis fuisset, ne utiquam hisce ludibrijs illuissent, & excitato tanto periculo, & seditione totius gentis, praesertim tam suspicacis, & tantum nouitate rerum gaudentis. Facti sunt autem amici Pilatus & Herodes. Herodi enim argumentum amicitiae fuit & initium, quod à Pilato se missus esset: quasi Pilatus non uindictae sibi aliqua priuilegia Herodis. Veruntamen uide quam discrepantia congreget diabolus, solum ut Christo mortem praepararet. In unam enim conspirationem copulat & conciliat inimicos. Non confundimur igitur nos, siquidem ille inimicos pacificat, ut Christum occidat: nos propter salutem nostram, neque amicos seruamus in officio? Postquam autem missus est Pilato (Vide quomodo iterum refulgeat ueritas) Obtulistis mihi (inquit Pilatus) hominem hunc, ut subuertentem populum, & nihil morte dignum in eo inuenio, sed neque Herodes. Vides duorum hominum, quorum alter praeses, alter rex, testimonium omnino uerum? Neque ego, inquit, neque rex Herodes inuenimus ullam causam in eo. Quid dicet ad haec Iudaei? Iudices ipsi testantur, quod culpa careat homo, & uos accusantes nullum testimonium adducitis. Quibus credendum? Papè, quomodo tunc ueritas. Tacet Iesus, & testificatur pro eo inimici. Clamant Iudaei, & nemo adstipulatur eorum clamoribus. Mollior autem erat Pilatus, & minime pro ueritate constans. Timebat enim calumniam, ne accusaretur, quod rebellem absoluisset. Non enim didicit: Terrorem uestrum ne timeamus, sed dominus ipse erit mihi timor. Castigatum (inquit) dimittam, hoc est emendatum per flagella. Necesse autem habebat Rhomani per diem festum unum dimittere Iudaeis. Tale enim foedus cum Iudaeis inierat, ut liberum permitterent eis iuxta legitimam & consuetam suam uiuere. Et mos erat patrius Iudaeis, à principe iudicatos petere. Sicut & à Saul petiuerat Ionatham. Quod si historiam ignoras, uade ad primum librum Regum, & eam inuenies. Clamauerunt autem (inquit) omnes, dicens: Tolle hunc. Quid hoc peius? Gens sancta rabie furit, & gentilis Pilatus eadem auersatur. Et quae sursum, cum his quae deorsum miscentur. Tolle hunc, dicunt, dimitte autem

Psalm. 111.

1. Reg. 14.

nobis Barabbā: qui quū seditiosus esset & homicida, missus erat in carcerem. En tertio absoluit Pilatus, & tertio illi contra Christū clamant, ut omnino tertia illa clamazione
Act. 3. eādem suam perficiant, sanctumq; ac iustū negēt. Sicut dicit beatus Petrus: Petiuerūt aut uirum homicidam dari sibi: diligebant enim simile, proinde partis illius erunt. Quū enim & ipsi contra Rhomanos insurrexerint, innumerabilium cædium, suarq; perditionis erunt authores. Hæc autem prædicit & per Hieremiam dominus: Dereliqui domum meā, reliqui hereditatem meā. Dediti hereditatem meam in manus inimicorū, facta est hereditas mea mihi, sicut leo in sylua dedit super me uocem suā, propterea odi eam. Et iterum Esaias: Væ eis, quia resiliunt à me: perniciosi sunt, quia impie egerunt in me. Ego aut redemi eos, ipsi uero loquuti sunt contra me mendacia: & cadent in ore gladij principes eorū, propter insipientiam linguæ eorum. Ducitur igitur Iesus: & primum quidē imposuerunt ei crucē, & baiulans exiuit. Nemo enim alius eā suscipere uolebat, quia habebant ut maledictum lignum. Deinde inuento quodam Simone Cyrenæo, imposuerunt uī quadam ei illam, quam auersabantur alij. In sinuatur non parua admonitio hoc loco. Crux enim est mortificatio affectionum, ita ut moueri nequeant & operari. Nam qui crucifigitur, clauis affigitur, & operari nequit. Vnde doctor secundum Christum debet prior ipse crucem tollere, & clauis configere carnes suas, ut fulgeat timore dei, & careat affectionibus: deinde eā etiā auditoribus iponere. Simon
Esai. 9. enim obedientia interpretatur. Impletur autē & hoc loco Esaiæ dictū: Cuius principatus super humeros eius. Principatus enim domini & regis, crux est. Dicit enim Paulus:
Philip. 2. Humiliauit semetipsum usq; ad mortem, mortem autem crucis: ideo & deus exaltauit illum &c. At igitur quia crux fuit sublimitas & gloria Iesu, meritò principatus eius dicitur: quia principalis eius dignitas, & symbolum principatus est. Et si bene animaduuerteris, inuenies non aliter regnare in nobis Iesum, nisi per afflictionē: atq; ita qui in delicijs uiuunt, inimici sunt Christi. Ille autem potest fieri subditus Christi, & tollere crucem suam, qui uirtutis operarius est, qui uenit à uilla relinquens mundū, & ea quæ sunt in mundo, & ad Hierusalem illam supernam & liberam tendit. Porro quod Christum sequitur multitudo populi uirorum & mulierū, insinuat quod magna multitudo Iudeorum etiā post crucem credet in Christum, hoc enim est sequi. Et mulieres multæ, lege Acta apostolorum, & uidebis innumera millia credentium. Quid autem si lugere & plorare mulieres, moralē sensum afferat secum? Est enim mulier anima infirma, quæ si cōtritionem cordis suscipiat, per poenitentiam luget & plorat, reuera sequens Iesum, qui crucifigitur & affligitur propter nostram salutem.

Cōuersus autem ad illas Iesus, dixit: Filie Hierusalē, nolite flere super me, sed super uobis ipsis flere, & super filijs uestris: quoniam ecce uenient dies, in quibus dicent: Beata steriles, & uentres qui nō genuerūt, & ubera quæ nō lactauerūt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos: & collibus, cooperite nos. Quia si in humido ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? Mulieres quidē genus hominū est facile lachrymans & plorans, quasi graue quiddam accidisset & domino, plorant, compassionem præferentes magnā, & iniustitiā lamentantes. At ille non approbat, sed magis increpat illas. Voluntariò enim patiebatur. Nō docet autē lamentari eū, qui sponte & pro salute omnium patitur: sed congruū est ut ille magis laudibus efferatur & celebretur: per crucem enim & mors destructa est, & infernus captiuus factus. Lamenta enim his qui sponte patiuntur, nullā cōsolationē afferent. Proinde dominus illas quæ ipsum lugebāt, increpat. Admonet aut ut ad futura mala respiciāt, & propter illa plorēt, quādo mulieres cocturæ sunt filios suos propter immisericiordiā. Et ueter qui portauit: ille enim iterū miserabiliter fructum suū recipiet. Si enim in me talia fecerūt Rhomani: in me ligno humido, feraci, & semper uiuenti, & semper uitali propter deitatem, & per doctrinas fructuū meorū ferente omnes: in uobis, populo inquam, arido ligno, sterili ab omni uiuifica iustitia, & nullum fructum afferente, quid nō facient? Si enim quandam uitalem operationem boni haberetis, fortassis digni essetis quibus quodammodo parcere: nunc autem quasi lignum aridum in combustionem & corruptionem eritis.

Ducebantur

Ducebatur autem & alij duo facinorosi cū eo. ut interficeretur: & postquam uenerunt in locū qui uocatur Caluaria, ibi crucifixerunt eū & facinorosos, unū à dextris, alterū à sinistris. Iesus autē dicebat: Pater, remitte illis: nesciunt enim quid faciūt. Diuidentes uero uestimēta eius, miserunt sortē. Et stabat populus spectans, et deridebant eum principes cum eis, dicentes: Alios seruauit, seruet seipsum si hic est ille Christus, ille dei electus. Illudebant autem ei, & milites accedentes, & acetum offerentes ei, dicentes: que: Si tu es ille rex Iudæorū, saluū te fac. Erat autē et inscriptio super eū, literis Græcis & Latinis, & Hebraicis: Hic est rex Iudæorum.] Diabolus uolens dominum magna infamia aspergere, facit crucifigi cū eo & latrones: sed uide quomodo & uno priuatus sit, & hoc ad maiore gloriā domini cesserit. Nam aliorū cruces nemo requirit, totus autē mundus à cruce ista penderet: & manifeste hic ostenditur, dominū non esse iniquū, sicut latrones, sed omnis iustitiæ principē. Ducunt autē eum ad locū cranij, ubi dicūt primū parentem nostrū sepultū esse: ut ubi per lignum casus, illic & per lignū resurrectio. Iesus uero extremā declarans mansuetudinem, pro illis precatur. Pater, remitte eis, dicens: nesciunt enim quid faciūt. Et utiq; dimissum fuisset eis peccatū, nisi post hac in incredulitate mansissent. Diuiserunt uero uestimēta eius. Cuius gratia? forsitan & multi ipsis indigebant, fortassis hæc ad maiore contumeliā per lasciuiam fecerunt. Quid enim preciosum uidebant in his uestibus? Ridentes igitur, & contumelia afficiētes, talia fecerunt. Vbi enim & principes subfannabant, quid non de reliquo uulgo cogitandum? Alios seruauit, seruet seipsum: si hic est ille Christus, ille dei electus. Hoc dicebat per illos diabolus. Sicut enim in pinna templi, ita & hoc loco dicit, inuidens saluti nostræ per crucē, quam uolens interire, omnes mouebat machinas. Acetum uero offerebant milites, quasi regi quodāmodo ministrantes, ut biberet. Vide autē & aliam machinā diaboli, quæ in ipsum uertitur. Qui enim tribus characteribus literarū inuulgarat quodāmodo rebellionē Iesu, ut neminē prætereuntū lateret: quasi propter hoc suspēsus esset, quod regē se fecisset. Hoc autē, etiam si non è mente scribentis, symbolum factum, quod potentissimi gentiū, quales Rhomani: & sapientissimi, quales Græci: & Christi religiosissimi, quales Hebræi, regno subiiciendi essent, & ipsum prædicare debeant. De hoc autem plura & sublimiora in Euangelio Ioannis dicemus.

Vnus autē de his quæ pendeat facinorosoꝝ, cōuicia dicebat in eū, dicēs: Si tu es Christus, serua teipsum & nos. Respōdēs autē alter, increpabat eū, dicēs: Ne times quod tu deum, quod in eadē damnatione es: & nos quidem iuste, nam digna factis recipimus, hic uero nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: Domine, memēto mei, quū ueneris in regnū tuū. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi, hodie mecū eris in paradiso.] Quomodo igitur alij Euangelistæ duos latrones dicūt conuicia in eū iecisse? Verisimile autē est quod primum quidē duo eū conuiciati sint: deinde unus eorū cordatior, agnoscens bonitatem Iesu ex uoce quam fecit pro crucifigentibus, Pater, dicens, remitte eis. Non enim dixit, Domine (oro) dimitte eis: sed simpliciter sic, & magna potestate, Remitte eis. Quæ uox non solū omni misericordia est plena, sed & magnā authoritatē præ se fert. Ex hac igitur uoce, ut agnouit prior blasphemus Iesum uerū regem: confutat & alterū latronē, & ad Iesum dicit: Memento mei in regno tuo. Quid igitur dominus? Hodie mecū eris in paradiso. Sicut homo in cruce, ut deus autem ubiq; & illic & in paradiso implens omnia, & nusquam absens. Quærunť autē quidam, quomodo dicente domino latroni, Hodie mecū eris in paradiso: Paulus dixit, quod nullus sanctorū receperit promissionē. Et quidam dicūt, quod Apostolus non de omnibus sanctis asserat, quod receperint re-promissionem: sed de his, quos ipse solum enumerauit. Enumerauit autem alios quidē multos, latronis autem non meminit. Audi enim quid dicat, hi omnes, demonstrando adeos quos sermo enumerat, quibus latro connumeratus nō est. Alij autem dixerunt, quod latro nondum sortitus sit in paradiso conuersationem, sed quia inuariabilis sit, & mentiri nequeat domini promissio, ideo dictum esse: Hodie mecū eris in paradiso. Est enim & hæc species phraseos in uerbis dominicis, ut de futuris loquatur, tanquā de his quæ iam fiant: ut quum dicit, Qui non credit, iam iudicatus est. &

- • Ioan. 5. Qui sermones meos audit & credit, in iudicium nō uenit, sed transiit de morte in uitā. Alij autem non torquent uerbum, punctum facientes post hodie: ut sit is sensus dicti, Amen dico tibi hodie: deinde, mecum eris in regno, adijcientes. Quidam uero, qui maxime sensum assequi uisi sunt, sic exponunt: Repromissa nobis bona, nō sunt ingressus
- Matth. 6. in paradysum, uel ascensus, sed regnum cœlorum: unde & oramus, Veniat regnum tuum: non, conuersatio illa in paradiso. neque enim mihi uidetur idem paradysus & regnum. Bona enim regni, neque auris audiuit, neque oculus uidit, neque in cor hominis ascendit. Paradysum autem & oculus uidit Adæ, & auris audiuit de eis. De omnibus enim inquit, lignis, quæ sunt in paradiso edens comede. nam licet unum tantū lignū interdictum sit eis, uerū & ipsum uiderūt, & de ipso audierunt. Lætabatur enim in spiritu Adam, alioqui tantam operationem cum lætitia in agricultura non obuiisset. Atque adeo non est contrarium, quod Paulus dicit. Latro itaque paradysum sortitus est, non autem assequutus est regnum: assequetur autem, quando & omnes quos enumerauit Paulus; nunc autem hoc tempore paradysum habet, qui est pars spiritalis quietis. De que his multa loquuntur: dicendum autem est, idem esse regnum cœlorum & paradysum. Nihil prohibet ergo & dominū uera dicere, & Paulum. Nam latro quidem est in paradiso, hoc est regno: & non solus ipse, sed & omnes quos enumerat Paulus. Alio qui non frueretur perfecta bonorum participatione. Nam sicut condemnati in regnis non sunt, sed in custodijs clausi tenentur in deputatis pœnis: qui autē gloriosi, & in regna ingrediuntur, & nunc in eis uersantur: deinde quum uenerit tempus distributionis regaliū donorū, & illa assequuntur. Ita & sancti, tametsi nondū perfecte bonis fruuntur, sed iam uersantur in locis lucidis & fragrantibus, & pulchris tabernaculis, etiam si nondum distributionem regionum bonorum assequantur. Ita & latro in paradiso fuit, etiam si nondum perfecte acceperit, ut ne absque nobis perfectus sit. Et hoc opinor uerissimū omnī, ut ne dicam quod sanctorum gratiæ in quotidianis miraculorum operationibus paradysus merito dictus sit, & omnes sancti quotquot participes facti sunt spiritalium donorum, & arrabonem habent spiritus, in paradiso sint, etiam si nondum perfecti fuerint & regnum acceperint, sicut dicit Paulus in epistola ad Hebræos, etiam si nondum promissionem acceperint. Promissionem enim dicendo, integram felicitatem posuit. At illam nondum integram acceperunt, & sunt in regno ac paradiso. Tu autem admireris, quomodo sicut rex quidam, trophæa ex uictoria referens, spolia opulenta secum abducit: ita & dominus, quoniam fortius uas diaboli diripuit, secumque abstulit & reduxit ad primam patriam hominis, paradysum dico. Etenim Christus non solum sicut deus in paradiso fuit, sed & secundum quod animam habuit rationalem & mentalem. Et in paradiso fuit cum mēte, in infernum autem descendit cum anima. Cæterum per hoc quod saluat latronem, uas malitiæ: ostendit quod prius acceperat, quia uincto inimico spolia eius diripuit.
- Erant autem hora ferè sexta, & tenebræ factæ sunt super totam terram, usque ad horam nonam, & obscuratus est sol, & uelum templi scissum est medium. Et quum clamasset uoce magna Iesus, ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc quum dixisset, expirauit. Quum uidisset autem Centurio quod accidit, glorificauit deum, dicens: Vere hic homo iustus erat. Et omnes turbæ eorum qui simul accesserant ad spectaculum istud, & uiderant quæ contingebant, percutientes pectora sua, reueriebantur. Stabant autem omnes noti eius procul, & mulieres quæ sequutæ eum erant à Galilæa, spectantes hæc.] Signum quærebant aliquando Iudæi uidere de cœlo. Ecce igitur signum rarum, tenebræ. Scinditur autem uelum templi, ostendente domino quod non ultra inaccessa erunt sancta sanctorum, sed Rhomanis tradita prophanabuntur. Vel aliter: Ostendit quod uelum, quod diuisit nos à sanctis in cœlo, scindatur: hoc est, inimicitia & peccatum. Hoc enim fuit magnum interstitium, quod nos ab illis qui ibi erant distinguebat. Ostendit autem quod non propter im potentiam crucifixus sit. Nam qui talia fecit, etiam illos potuisset perdere. Quum uero uoce magna clamasset, emisit spiritum: potestatem enim habebat animam suam ponere,
- Nota de statu post hanc uitā.
- Heb. 11.
- Psal. 30.
- Ioan. 10.

ponere, & iterum accipere eam. Vox item illa Centurionis & alia miracula, fidei fuerunt argumenta. Non enim sicut communis homo, sed cum magna potestate mortuus est. Et depositum, mortem nominauit, tanquam iterum recepturus animam. Hac autem uoce primū libertatem assequutæ sunt animæ nostræ, diabolo posthac nullam in eas habente potestatem, utpote patri commendatas. Ante mortem enim Christi magnum ius fuit diabolo in animas. A quo autem tempore filius, non inferno, sed patris manibus commendauit spiritum, libertatem assequuti sumus ab inferno. Et hoc quod dicit dominus, Quando exaltatus fuero, traham ad me omnes: nunc uidetur con-
 summatum. Exaltatus est in cruce, traxit latronem, traxit Centurionem. Percusserunt autem & pectora Iudæorum quidam, & crucifixores arguebant, manifeste Iesum iustificantes. Et discipuli quidem fugerunt: mulieres autem condemnatum & maledictum genus, permanent ac spectant hæc omnia, & iustificatione ac benedictione illa fruuntur primæ, sicut & resurrectione. Tu autem admirare cæcitatem Iudæorum, quod dicunt, Descendat de cruce, & credemus in eum: quum uisis maioribus non credant. Non enim idem est, descendisse de cruce, & obtenebrari solem, petras rumpi, terræ motum horribilem fieri, mortuos resurgere, uelum scindi, & in summa creaturam alterari. Vnde non est quod quis dubitet, quare non descenderit: satis enim habebit certum, quod licet etiam hoc fecisset, neque tunc credidissent, & nihil aliud sequutum fuisset, quàm abbreviatam salutem per crucem. Crux enim inter omnia, maxima gloria Christi est. Igitur qui fecit maiora quum non crederent illi, duo præcipua operatus est, & magnum crucis trophæum usque ad finem sustinuit, & illos declarauit ingratos esse per omnia, & nihil boni habere: sed incredulitate fermentatos & perditos.

Et ecce uir nomine Ioseph decurio, qui erat uir bonus ac iustus, hic non consenserat consilio ac facto eorum, oriundus ab Arimathæa ciuitate Iudæorum, qui expectabat & ipse regnum dei. Hic accessit ad Pilatum, & postulauit corpus Iesu: & depositum inuoluit sindone, & posuit illud in monumento, quod erat in lapide excisum, in quo nondum quisquam positus fuerat. Et dies erat parasceue, & sabbatum illucescebat. Subsequutæ autem mulieres, quæ cum eo uenerant de Galilæa, uiderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus eius. Reuersæ uero parauerunt aromata & unguenta, ac sabbato quidem quieuerunt secundum præceptum. Ioseph tamen si primo latuerit, rem tamen laude dignam nunc facit, quamuis consiliarius esset ac diues, & audet petere corpus hominis crucifixi, quasi perduellis & seditiosis, nullumque periculum suspicatur, licet periculum esset diuitiarum: sed & petit, & honorifice sepelit, & in monumento exciso, ubi nullus alius iacuerat: ut ne dicant syco-phanta, quod aliud corpus surrexerit. Mulieres autem & fidem habebant erga dominum, non tamen qualem oportebat, sed infirmam ac partiam. Habebant enim eum pro puro homine, unde & ordinata & unguenta portarunt iuxta ueterem Iudæorum consuetudinem semper obseruatam de mortuis ungendis. Et sabbato quidem quieuerunt iuxta mandatum legis.

C A P V T X X I I I I.



No autem sabbatorū profundo crepusculo, uenerunt ad monumētū, portantes quæ parauerāt aromata: & nonnullæ cū illis. Repererūt autē lapidē reuolutū à monumento: & ingressæ, nō inuenerūt corpus domini Iesu. Et factū est, dū mēte cōsternatæ essent de hoc, ecce duo uiri steterūt iuxta illas in uestibus fulgurātibus. Quū expauissent autē, & declinarēt uultū in terrā, dixerūt ad illas: Quid queritis uiuētē cū mortuis: nō est hic, sed surrexit. Recordamini ut dixerit uobis, quū adhuc in Galilæa esset, dicens: qd' oportuerit filiū hoīs tradi in manus hominū peccatorū, & crucifigi, & die tertio resurgere. Et recordatæ sunt uerborū eius, & regressæ à monumento, nunciauerūt hæc omnia illis undecim, & cæteris oibus. Erat autem Maria Magdalene, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ quæ cū eis erant, quæ